



**C**hristopherus ex nobili Eblebiorum familia  
 apud Saxones natus, & in omni genere uirtu-  
 tum educatus est. Is cum prima literarū fundamen-  
 ta didicisset, animum ad res politicas conuertit, &  
 armorum studia amp. lexis fuit. Hinc factum ut ob  
 magnum rerum usum & Saxonix principibus gratif-  
 simus, & in primis à Mau. ritio ad intima consilia ad-  
 missus fuerit. Eius opera postea Mauritius sapissi-  
 me usus est. Nam cum 1545 Philippus Landgrauus  
 cum Brunswicense bellum gereret, Mauritius per  
 Christopherum intercessit, ac ad pacis consilia fle-  
 ctere cogitauit. Cum etiam postea in electoratu Io-  
 hanni Friderico successisset, atq; socerū suū Lād-  
 grauium Cæsari recōciliare statueret, per hunc Christopherum legatū omnia  
 apud Landgrauium egit, & tandem ipse et Brandenburgicus elector literas mi-  
 sit, quibus pacis articuli comprehenderentur. In ea actione Eblebus pacis cu-  
 pidus fuit diligentissimus, atq; tandem Landgrauium eō redegit, ut dictis fi-  
 dem adhiberet, atq; Halæ coram Cæsare supplex compareret. Cum autem i-  
 bidem præter principum & aliorum expectationem 1547 captiuus detinere-  
 tur, optimus uir Eblebus principis huius sibi familiarissimī captiuitatem gra-  
 uissimē tulit, atq; eius rei cogitatione adeo animum suum excruciauit, ut pau-  
 lo post uita excesserit, atque apud multos magnum sui desiderium reliquerit.  
 Ioan. Sleid.